

et omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes riuos eius et fluet super uniuersas ripas eius. et ibit per iudam inundans. et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terre tue omanuel. Congregamini populi et vincemini: et audite uniuerse procul terre. Confortamini et vincemini: accingite vos et vincemini: in ista consilium et dissipabit: loquimini verbum et non fiet: quia nobiscum deus. Hec enim ait dominus ad me. Sicut in manu forti erudiuit me: ne irem in via populi huius dicens. Non dicatis coniuratio. Omnia enim que loquitur populus iste: coniuratio est. Et timore eius ne timeatis: neque pauceatis. Dominus exercituum ipse sanctificat: ipse pauor vester et ipse terror vester: et erit vobis in sanctificatione in lapidem asitum offensionis et petram scandalum duabus domibus israel: et in laqueum et in ruinam habitantibus hierusalem. Et offendent ex eis plurimi: et cadent et conterentur et irretientur et capientur. Liga testimonium: signa legem in discipulis tuis: expectabo dominum qui abscondit faciem suam a iacob: et prestolabor eum. Ecce ego et pueri mei dedit mihi dominus in signum et in portentum israel: a domino exercituum qui habitat in monte sion. Et cum dixerint ad vos. querite a prophetis et a diuinis qui strident in cantationibus suis: nunquid non populus a deo suo requirit visionem pro viuis ac mortuis? Ad legem magis et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc: non erit eis matutina lux. Et transibit per eam et cornet et furiet: et cum esuriet irascetur: et maledicet regi suo et deo suo. Et suspiciet furtum et ad terram inuebitur: et ecce tribulatio et tenebre et dissolutio et angustia et caligo persequens: et non poterit auolare de angustia sua.

LIX

**P**rimo tempore alienata est terra babilon et terra neptalim et nouissimo aggravata est via maris trans iordanem galilee gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam habitantibus in regione umbre mortis: lux orta est eis. Multiplasti gentem non magnificasti leticiam letabuntur coram te sicut qui letantur in messe: sicut exultant victores capta preda quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius: et virgam humeri eius: et sceptrum exactoris eius superasti: sicut in die madian. Quia omnis violenta predatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem: et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis et filius vatus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius: deus fortis: pater futuri seculi: princeps pacis. Multiplicabit eius imperium et pacis non erit finis: super solium dauid et super regnum eius: ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iusticia amodo et usque in sempiternum. Zelus domini exercituum faciet hoc. Verbum misit dominus in iacob: et cecidit in israel. Et sciet omnis populus efrain et habitantes samariam in superbia et magnitudine cordis dicentes. Latentes ceciderunt: sed quodis lapidibus edificabimur? Sycomoros succiderunt: sed cedros immutabimur. Et eleuabit dominus hostes rasim super eum: et inimicos eius in tumultum vertet: syriam ab oriente: et philistinim ab occidente: et deuorabit israel toro ore. In omnibus his non est auersus furor eius: sed ad huc manus eius extenta. Et populus non est reuersus ad percurrense se: et dominus exercituum non inquisierunt. Et disperdet dominus ab israel caput et caudam: incuruantem et de prauitatem die vna. Longeuitas et honorabilis ipse est caput: et propheta docens mendacium ipse est cauda. Et erunt qui